

1622.  
1673  
1690





00



1. Arndt v. Jod. v. querela de  
neutralitate Sacra, 1650

2. Amling v. Wolff. v. fudlaffung  
von der Messenordnung  
Christi Zerbst 1586.

3. Andre v. Jac. v. gendießfert  
der Besue von der Johannis  
Hubeingen 1581.

4. Nagely v. Pauli v. prognosticon,  
Leipzig 1622.

5. Der Armen Bessertzen, Leipzig  
1621.




6. Arnoldi phil. Antivagellus.  
Königsberg 1622.
7. Baldvini s. Frid. Christozonia.  
Wittenb. 1595.
8. Lütke s. Joh. Hymnus natali-  
tius de Christo Wittenb. 1594.
9. Barbaroffe s. Frid. Brieft zum  
s. abendmahl. Hilderheim  
1603.
10. Calixti s. Georg. variant  
anerkennung gegen D. Weller,  
1670.
11. —————  
anerkennung D.  
Weller, Helmsf. 1671.
12. Calovij s. Abrah. s. variant-erkennung  
contra D. Bekm,
13. —————  
Apologia an  
den vater zu Königsberg  
Wittenberg 1671.
14. Cocleij s. Joh. v. Fridizium  
unseres christenthumb, 1569.
15. Cratonij s. Adami responsum  
ad anonymum Ambrigitanus  
Neapoli 1591.




16 Cratonis s. Adami wittenberg  
des Hauptbüchlers Lutheri  
Calbe 1540.

17. ————— admonitio  
Scholastica, Gerapoli  
1542.





















CHRISTOGONIA VERSV  
paulum liberiori adumbrata ;

7.6

*Quam*

ILLVSTRISSIMIS, CEL-  
SISSIMISQVE PRINCIPIBUS  
AC DOMINIS, D. D. D. CHRISTIA-  
NO, IOAN-GEORGIO & AVGVSTO, Fratibus, Du-  
cibus Saxoniae, Landgravijs Thuringiae, Marchionibus Misniae,  
Burggravijs Magdeburgensibus, &c. Dominis meis cle-  
mentissimis, debitae subiectionis ergo de-  
dico. consecroque

*FRIDERICVS BALDVINVS Dresdensis.*


*Ἐφοδ'ισιχop*

NatVs. Iô / SILoh. qVeM frVstra eXspeCtat apeLLa ;  
NatVs; & eCCe VICes tot repetIVit Eos.



VVITEBERGAE  
Excusa typis M. Simonis Gronenbergij,  
cl. Io. XCV.





ILLVSTRISS. PRINCIPIBUS  
AC DOMINIS D. D. D. CHRISTIANO,  
IO AN-GEORGIO & AVGVSTO, Fratibus, Sa-  
xoniae Ducibus, &c. Dominis meis  
clementissimis, S.

**E**licissimo illi Romanorum Imperatori AVGVSTO (vt autor est Suidas) τὸν αὐτοκράτορα aliquando consulenti, quis sibi successor in imperio esset futurus, αὐτῷ ἐβραῦν, respondit oraculum. Qua voce motus Imperator, aram in Capitolio statuit, hac inscriptione: ὁ θεὸς οὗτος ὅτι προτογόνος θεῶν. Hac & similia, Illustrissimi principes, dici non potest, qua voluptate pascant diuinarum rerum studiosos talia legentes; etiam serpentem istum antiquum nolentem volentem ea de contritore illo capitis sui Termaximo profari, quae per sacrosancta sua organa Prophetas Deus multos annos antè in Ecclesia reuelarat. Quare haec quoque mihi cogitanti in summo gaudio venit in mentem salutiferam hanc ἱστορίας historiam debitae Saluatori meo gratitudinis ergò rudi Mineruâ, eâ, qua fieri potuit, simplicitate delineare; illamq; Generosissimae Cels. Vestrae debitae subiectione offerre, cum quia vestra in me beneficia satis sint illustria, qui (quod inter alia familiam ducit) Munificentiam vestram in inlyto ad Albim ludo vestro per annos aliquot sustentatus sum; quod grato animo meritò agnosco: tum etiam, quia inlytas Cels. vestras in sincerâ pietate indies summâ cum laude crescentes hisce cogitationibus delectari dubium nemini esse possit: ita vt neque ego ambigere audeam, Illustriss. Cels. vestras hascè meas qualescunque primitias beneuolo animo à me esse suscepturas: id quod eâ qua debeo submissione peto, & inlytas Cels. vestras cum Matre & Sorore illustrissimâ, adeoq; totâ Saxoniae domo Dei opt. Max. commendo tutelae, Valeant Illustriss. Cels. vestrae. V Viteb. Idib. Decemb. clj. Is. vic.

Inlytae Cels. V.

Subiectiss. cliens

Fridericus Balduinus Dresdensis.





Rma canam, dixi, dubiúmque per  
 agmina Martem  
 Christiadam, Scythicique truci sub  
 gente tyranni,  
 Qua propè Sauromatas tumida-  
 rum rector aquarum  
 Ister ab Europâ disternat Asi-  
 dos oras.

Heic mihi quis Superúm (DEVS at, Deus ille coruscis  
 Desuper irradians radijs Latonius) aurem  
 Vellit & admonuit: numquid tibi sarcina grandis  
 Terga per Icarios iuuenilia deprimat ausus,  
 Hoc cupis? euge relinque alijs bicoloris honorem  
 Juniperi, tenues tu deligito vngue myricas:  
 Bella canant alijs, tu virginis excipe partus.  
 Obsequor; at bibulis mandantur semina arenis,  
 Nitua mî tepidas iam ventilet ipsa medullas  
 Flammula, cælestis pars ô veneranda senatus,  
 Spiritus: & queis nil Charis in magè surgit amicum,  
 Vos, ô Saxonidum Flores, tria germina RVTÆ,  
 Germina in Europæ latè fragrantia campis;  
 Vos quoque mî facilem generosâ mente fauorem  
 Exhibuisse iuuet, studiisque impellere remos.  
 Fallor? an optatus gelidos calor occupat artus:  
 Haud fallor: generosa rudem quoque triga Thalæam

B<sub>2</sub>

Non



Non renuit, facilémque canenti accommodat aurem.  
Lingua imitare animū fando: manus æmula linguā  
Scribendo exæqua: *Deus est, qui carmina dictat.*

Tempora qui didit radijs, Hyperione natus  
Secula jam vario ter dena nouémque recurſu  
Emenſus, decies ſenas curuamine lati  
Limitis abſoluiffe vices, biſque in ſuper uſtos  
Sueta ferebatur miſiſſe per aſtra jugales:  
Aurea Romulei Cæſar diademata ſceptri  
Imperiique vnus ſummas cūm geſſit habenas,  
Iamque quater dena ſtali ſub nomine meſſes  
Viderat, adde duas hiemes: quem Marte togaque  
Eximium non arma magis clara triumphis  
Reſque foris geſtæ generoſo pectoris auſu  
Urbe ſua fecerê Deum; quàm conſcia virtus  
Iuſtitiaque decus, quàm pax plaudentibus aliſ  
Actiacâ redimita oleâ comitatur euntem.  
Hinc ea Romulidum paſſis CONCORDIA penniſ  
Innumeras paſſim gentes per prælia victas  
Detrectare jugum vetuit, quâ turgida tellus  
Cœrulæ in amplexus ſe porrigit Amphitrites,  
Pamphiliæ Phrygiæque ſinus, Tyriôſque bilingues,  
Florentiſque caput Syriæ, Nabathæaque Idumes  
Arua, Palæſtinis certantia frugibus aruiſ,  
Et quâ Celtarum Belgas diſcludit ab oriſ  
Sequana, ſpumiferas cui Matrôna ſufficit vndaſ,  
Diſperſaſque a libi gentes, quas prendere verſu

Qui



Qui cupit, Albiacæ numerum subducat arenæ.  
 Iamque ita compositis armis, bellique silente  
 Impete, magnanimus Cæsar, post tanta laborum  
 Pondera, perpendens annalibus eruta priscis  
 Nomina magnatum magni de gente Quirini,  
 Hæc secum: Qui sim video, quod nominis huius  
 Imperiique decus, memini: quæ tantaque regni  
 Fascibus Ausonij submittat natio colla,  
 Armorum bellique potens Mauortia proles,  
 ROMA, caput telluris, inexpugnabile regnum,  
 Iuppiter! ut totum latè es diffusa per orbem!  
 Sentio, quæ me cura premat, quæ torqueat æstu  
 Pectoris anxietas vario; *perterrita ne quid*  
*Detrimenti aliquo capiat Respub. lapsu.*  
 Est aliquid, magnas cui condere Iuppiter vrbes  
 Externasque dedit ferro expugnare cohortes.  
 Est aliquid super astra vehi, vel Marte secundo  
 Hostibus expulsis bellum finire triumphis.  
 Sed bona, finitis bellis, iam parta tueri,  
 Iustitiæque animos populi frenare potentis,  
 Hoc opus, hic labor est: hæc tendit in ardua virtus,  
 Pacatasque vigere cupit, me Cæsare, terras.  
 Talia sollicito secum sub corde volutans,  
 Consilio instructusque nouo capitolia linquit,  
 Præfectosque vocat, quibus haud extrema potestas  
 Legibus atque armis victas defendere gentes  
 Externas regione aliâ, ditione Quirites.



Hi postquam imperiale solum, sublimiâque vrbis  
Mœnia Romulæ tetigerunt, protinus aulam  
Cæsaribus ingrediuntur. hic intra tecta vocari  
Imperat, & sellam medius conscendit eburneâm,  
Eximiam gemmis, aurumque imitante pyropo;  
Qua quondam omen erat primos attollere fasces  
Cæsaribus, jurisque patrum sceptrique poti ri.  
Hic ubi consedit Cæsar, sic protinus inquit:  
Romulidum haud paruis inclusa potentia metis,  
Omnia sub pedibus nostris, vtrumque recurrens  
Quâ videt Oceanum Titan, parere, Quirites,  
Cernitis, atque jugo sese submittere nostro;  
Hinc septingentas totas regnatur aristas  
Nunc demum Ausonij, hinc ille volubilis ordo  
Imperij mihi sceptrum dedit, soliumque paternum  
Magnū est Cæsareum, & (fateor) venerabile nomen,  
Cæsaribus officium maius, quo tota recumbit  
Inclinata salus populi, & concordia regni,  
Consulite in medium genus altâ à gente Quirini,  
Insignes gravitate viri, præstantibus ausis,  
Consulite, & publicæ regni inuigilate quieti,  
Fert animus, certum populo describere censum.  
Ærâque per classes deposcere iusta virum,  
Ne si quando ferox (Dij vertant omina) Parthus  
Suavia pacifici disrumpat fœdera pacti,  
Ignari quæ nostra foret, vel quanta potestas,  
Hostibus incauti regnum tradamus auitum.

Vos



Vos igitur, quibus imperij pars extrema nostri  
Fila, patres, vos hæc animis mea figite dicta:  
Quisque suâ ditione, meo sub nomine, cogat  
Concilium, censumque omni pro stemmate iustum  
Exigat, idque vrbis dicat conferre saluti.  
Et tu, qui Syriæ caput & tutela, Cyreni,  
Obsignato animis, in te spes magna recumbit:  
Ampla Palæstinæ tibi commendata potestas,  
Isacidum bisseua tribus, contermina Eoæ  
Quæ lambunt Syrios Euphratæ flumina campos.  
Hic tu jura dato, nec quis mea iussa retractet  
Prospice: *Romano cantata isthæc Cæsare sunt.*  
Dixerat: utque fuit, folio sublimis eburneo  
Purpureâ indutusque togâ, sceptrisque decorus  
Cæsaris exemplar vel maiestate verendum,  
Vel gravitate viri, totum transfudit in agmen.  
Illi inter sese rerum nouitate stupendâ  
Attoniti mussant primùm, nec talibus audent  
Cæsaris aut verbis aut nutu opponere dictis.  
Tandem sumto animo post longa silentia præses  
Assyrius, veniam præfatus, talia fatur:  
Nostra quidem, Cæsar, genus alto à sanguine Iuli,  
Magne pater patriæ, solij tutela Quirini,  
Nunquam cura aberit, quamuis nouitate repente  
Confusus fuerit populus: tamen inclyta virtus  
Cognita maiestate tuâ, vel mente sagaci  
Reddet eis vires, studiùmque ad iussa paratum.

Sic



dicat: & cæcis, iudicio poplite, tectis  
Cæsaris egressus, Syria remeavit ad agros;  
Atque ibi concilium cogit: stupet inscia turba,  
Impubesque cohors arrectis auribus adstant.  
Ille subit, tumultumque capit, magnique verenda  
Cæsaris exponit decreta, atque omne subortæ  
Eximit ex animis odium novitatis iniquum,  
Sidera testatus, communem hinc esse salutem.  
Necque aliud fecere a libi, quibus illa potestas,  
Accensosque animos populi vel pace, vel almæ  
Libertatis amore omnes ad iussa reflectunt.  
Ac veluti vasto in pelago si fortè coërta est  
Tempestat, rapidi fluctus vaga littora pulsan,  
Iamque Eurúsque Notúsque ruunt, atque æquora tur-  
Tum si fortè senem ponti super æquore regem (bant;  
Conspexere, stupent, & viso numine, mussant;  
Sic cunctus populi cecidit stupor, inclyta postquam  
Cæsaris esse edicta vident, animisque reflexis  
Prudentes laudant animos, & iussa capessunt.

Iamque per æquorei radiantia Cynthius hirci  
Cornua flammiferum loris inflexerat Æthon,  
Brumalisque horrore niuis ferè cognita nulli  
Facta viæ ratio, gelidis Cerealia campis  
Munera Hyperboreo concreta rigore jacebant,  
Nectamen imbriferi miscentes prælia venti  
Riphæumve gelu niuæ nec copia massæ  
Quenquam ardore suo, parendi & amore moratur.

Cer-



Certatim accurrunt omnes, & debita quisque  
Præfecto regione suâ stipendia soluit.  
Ecce Palæstinis etiam descendit ab oris  
Incola, quâ vitreis Galilæia iugera lymphis  
Iordanis irrorat, quâ Nazara tangit olympum,  
Nazara veridicis multùm celebrata Prophetis.  
Hæc genus Isacidùm I O S E P H, venerabile morum  
Exemplar, pietate grauis, reuerendus & albâ  
Canitie, quem sancta fides, atque integra dudum  
Vita probata D E O sacrâ de gente puellæ,  
(Quæ num laude animi formævé insignior esset,  
Haudfacilè adfirmes, pacti quam loua parentem  
Seminis elegit) seris desponderat annis.  
Ille vbi solliciti studium laudabile vulgi  
Viderat, ipse etiam stimulis agitatus honesti  
Talibus alloquitur M A R I A M: O quæ fœdere lecti  
Desponsata mihi es, flos illibate pudoris,  
Nostra etiam virtus, & quàm sit prompta voluntas,  
Obsequio experienda isto: nos pendere censum  
Cogimur, & longos terere isto frigore collès.  
Ergò si qua meæ tangit te cura senectæ,  
Si qua fides data coniugij, si qua inclyta virtus;  
Esto viæ socia, & releua mihi tædia fando.  
Dixit: & extemplò virgo sic voce sequuta:  
Concepi, neque semen adest (mirabile dictu)  
Virgòque mater ero, grauidum iam sentio pondus;  
Non tamen vlla viæ detrecto tædia, nulla

B

Me



Me premet anxietas : animâ moriemur in vnâ:  
Spiritus ille D E I, sub cuius ab æthere lapsâ  
Mater ero virtute, sacro qui robore mentes  
Excitat infirmas, lateri se iungere nostro  
Sustinet, optatâsque ambos perducet ad oras.  
Omen ineffereor. nam quid? nos, maxime Cæsar,  
Tûne vocas? vocat ipse D E V S : tu pacis amator?  
Pacem amat ipse D E V S, veræque insignia pacis  
Iam demum indigno largitur munera mundo.  
Quid moror? aureolos vbi cras Aurora capillos  
Exeret, ingrediemur iter : D E V S ausa secundet.  
Postera lux oritur, sublatis è gurgite vasto  
Solis equi, radios lucemque è naribus efflant;  
Cingitur, & pigro vectus Iosephus a sello  
Aspera cliuosi conscendit acumina montis,  
Balsama quâ liquidis Cison pater irrigat vndis.  
Ipsa pedes sequitur virgo, velamine tecta  
Virgineas rubicunda genas, quas plurima sæuis  
Nix dispersa Notis infestâque frigora scindunt.  
Hanc vbi vix longo vestigia ponere cliuo  
Tarda valere senex, mœstumque ciere sub imo  
Pectore mœrorem sentit, miseratus, a sello  
Imponit grauidam, & lento per jugera gressu  
Innixus palo tardè succedit, amicis  
Insuper & dictis mœrentia pectora mulcet:  
O virgo ( neque enim promissæ ignara salutis)  
O benedicta D E I mater, dimitte dolorem,

His



His quoq; finis erit, quondã hæc meminisse iuuabit,  
Per varios casus, rigida per frigora Brumæ  
Tendimus ad nostram, bene si diuino, salutem:  
Obdura; & temet rebus solare secundis.  
Hæc vbi virgineo dederat solatia cordi,  
Ventum erat ad sacræ Iesseia mœnia Bethles,  
Mœnia parua quidem, sed magno debita honori.  
Iámque diem clauso ponebat vesper olympo,  
Aureaque obscuram reuocabant sidera matrem;  
Illi iter emensi longum, requiémque petentes,  
Mille adière domos; admisit nulla: per omnes  
Vrbis eunt redeúntque vias, nusquam hospita tecta;  
Vsq; adeò in parua populus confluxerat vrbe!  
Exiguos tandem fessi tetigère penates,  
Quò iussi tenues, submisso vertice, postes  
Conscendunt, partémque domus, quà corniger hircus  
Ruricolæ que boues soliti transferre penates.  
Hic sua gramineo refouent in stramine membra:  
Ipse senex filicis scintillam excudit, & ignes  
Suscipit arentis siccato cortice ligni,  
Colligit & stipulas, ramaliáque arida circum  
Adiicit, & rigidis defendit frigora membris.  
Iámque ferè medios radijs lustrabat obortis  
Cynthus Antipodas, fulgebant aurea passim  
Sidera, summa casæ lustrarunt cornua Lunæ.  
Ipse inter pecudes, quas iam sopor altus habebat,  
Grata soporiferæ Iosephus munera noctis



Expertus, duro carpebat stramine somnum.  
Ecce ibi sola sedens virgo, haud ignara futuri,  
Multa q̄; secum agitans, trepido sic incipit ore:  
Ultima jam memini venerunt tempora partus,  
Ultima & hæc hora est; tu qui virtute supernâ  
Efficis intactam grauidam, de virgine matrem,  
Tu, precor, imple etiam cœptum, fatiſq̄; secundis  
Optatam adspiciat fœtus, te præfide, lucem,  
Vix ea, felici, sublatis nixibus, ortu  
Molliter (en!) casti deponit pondera ventris.  
Qualiter irriguo crescens amaranthus in horto  
Mulcet odore solum, gratasque attemperat auras:  
Taliter è sancti vernante propagine lesſæ  
Flos tener exortus, totique salutifer orbi  
Nectar & Ambrosiam spirat, mentesque focillat.  
Exemplò splendore domus repleta corusco  
Enituit, facièque nouâ præsentia certò  
Numina testata est, subitò leuat impigra somno  
Membra senex stupidus, gelidusque per ima cucurrit  
Ossa pavor, trepidat; nec quæ sibi visa soporem  
Abripiant, sentit. quamprimùm reddit a menti  
Lux sua, discussis confusi pectoris umbris,  
Adspicit infantem, villosâ in sindone, duro  
Stramine depositum, quem iuxta turpis asellus  
Corniger & taurus rigidi flatu oris anhelant.  
Ut demum accessit supplex ad numina flexo  
Poplite, mille genis infigens oscula, dixit:

O quem



O quem sacra DEVM cecinerunt carmina vatam,  
Sancte puer, salve: quam tot suspiria patruin,  
Tot miseri gemitus populi, tot vota petebant,  
Venisti sperata salus: per te omnis iniquæ  
Noxa cadit culpæ; per te rediguntur in hilum  
Imbelles Belix fraudes: per te vna salutis  
Spes reparata animæ: per te reſerata reclusi  
Porta poli: per te promiſſam cernimus arcem.  
Sed tenus in ſtabulis, rigida ad præſepia, fœno  
(O pudor!) impositum tenui circundet amictu  
Fascia! nec Parioradiantia marmore tecta  
Excipiant! ô sancte puer, qui quicquid utroque  
Cynthius axe suo luſtrat ſplendore, gubernas.  
Scilicet, auxilium nobis; tibi triſte paratur  
Exilium: (ô bonitas!) tibi mors, iam viuida nobis  
Sors data: lautaque res nobis, tibi pauper, & ægra  
Seruitus; imperium nobis: quis crederet? atqui  
Deposito exilio, ſuperatâ morte, peremtâ  
Pauperie, tandem, poſt fata nouiſſima mundi  
Victor ouans tecum nos cælica ad aſtra reduces.  
Sic ait, atque album caput ad præſepia tendens  
Oſcula plura dedit puero, tremuliſque lacertis  
Membra tenella fouens, maternis detulit vlnis.  
Hæc modò blanditias, leni modò murmure riſus  
Oſculaque adiungens tepido fouet ubere natum.  
Fortè ibi ſub patulæ recubantes tegmine fagi  
Ante fores villæ, rigidis in vallibus arui

B 3 Lanigeros



Lanigeros pauere greges, ætatibus ambo  
Tityrus & Corydon pariles; quorum alter Alexin,  
Alter at abreptam calamis Amaryllida flebat.  
Dumque ibi longinquæ fallunt vaga tempora noctis  
Ecce, percusso veluti cum Cynthius igne  
Purpurat æquoreas, Cancris sub sidere, lymphas:  
Sic facies splendore dum radiata, nouoque  
Picta colore fuit: subito quatit anxius horror  
Attonitos, gelidus stetit alto frigore sanguis.  
Multa volutantes secum, tremuloque mouentes  
Multa animo, sursum paulatim lumina flectunt.  
Ecce ibi flammiferis tranantes aëra pennis  
Conspexere sacras, diuum genus, æthere turmas.  
Obstupere magis tremuli: vox faucibus hæsit,  
Arrectæque horrore comæ, pavor ossa fatigat.  
Quos sacer, ut vacuis, Raphaël, pendeat in auris,  
Talibus adfatus: Quænam trepidatio mentem  
Præcipitat, subitæque animum formidine sternit?  
O iuuenes, quæ causa metus? tantumne salutis  
Spe trepidare ratâ fas est? vel sicine durum  
Angelico innotuisse choro? quin ponite cœptum  
Corde metum, nostrisque animosi aduertite dictis.  
Mira quidem, sed vera canam, tremulentâq; magnâ  
Pectora lætitiâ perfundam, & nubila tollam.  
Vestra salus agitur: VOBIS, qui morte piaret  
Grande nefas scelerum, satanæque infringeret astus,  
(Quod felix faustumque) *hodie est prognatus in au-*  
*ras.*



Quid stolidi ancipites alitis sub pectore curas?  
Ferte pedes ad tecta citi, quò stramine taurus  
Incubat, eximium, rigidum ad præsepe, puellum  
Cernite linteolis redimitum in gramine paruis.  
Hæc ubi fatus erat, reliquum remeavit ad agmen,  
Atque ibi multiplices emensus in æthere gyros,  
Talibus in laudes Domini sacra ora resoluit:  
*Et meritò tibi, magne DEVS, qui excelsa supremi  
Astra premis solij, virtus & fama paretur.  
Et meritò exoptata quies, tutissima rerum  
Gloria, pacatas in terris incolat vrbes.  
Et meritò his redeant Saturnia secula seclis,  
Humanumque genus modò pulsa Astra revisat.*  
Sic ait, & tenues paulatim excessit in auras;  
Vox tamen ima manet; resonis vocalia campis  
Saxa repercusso sonitu retulère: REVISAT.  
Olli sumto animo, trepidisque à corde fugatis  
Fluctibus, ad villam tendunt, paritèrque per omne  
Alitis indubitata sacri præconia cernunt.  
Protinus ad terram prostrati, poplite curuo,  
MESSIAM agnoscunt; & pastoralia raro  
Munera depromunt calathò, & cunabula ouantes  
Flore replent vario, folia & bene-olentis anethi,  
Mistaque frondenti spargunt colocasia acantho,  
Pallados & baccas; gratamque ante omnia men-  
tem.

Quam



Quam tibi, Ô EMANVEL, HOMO- DIVE, sa-  
lutifer orbi,

Offero, necque aliud valeo, nec debeo: nam quo  
Stercus ego, totiusque nihil tua gemmea digner  
Brachia: quid donem? impurus genitricis ab aluo,  
Nil nisi massa luti, nisi inops, nisi sordida bulla.  
Sis facilis, modò- nate puer, venerabile numen,  
Nil nisi origo boni, nisi fons, nisi ianua vitæ.  
Sis facilis, gratique animi suspiria, CHRISTE,  
Percipe: pelle famem, morbos, atque agmina sæui  
Agmina Sarmaticis immensa in finibus hostis.  
Florescant æterna piæ sacra germina RVTÆ,  
Floreat & placido generosum flore VIRETVM  
SAXONIDVM, vireant ludi, vireantque Magistri,  
Floreat Albiacis longum mea LEVCORIS VNDIS,  
LEVCORIS, æternum mihi culta, æterna colenda.  
Excita amore tui mentes; incende saporis  
Imo in corde sitim diuini: atque impia perde  
Hæreseos fermenta, tuo pia pectora aduni  
Flamine: meque meosque pio rege tramite cursus.  
Sic tua per multos sacro cunabula versu  
Concelebrabo annos: donec mihi frigida vitæ  
Pausa misellam animam moribundo à corpore sol-  
uat.

Τῷ Θεῷ δόξα.



754709

AB 754 709

3  
ULB Halle  
003 348 458  



IL

1017

14/2.95.









CHRISTIANI  
pa  
ILLVS  
SISSIMI  
AC DOMINI  
NO, IOAN-GEORGI  
cibus Saxoniae, I  
Burggrauis  
men

FRIDERICVS

NatVs. 16 / SII  
NatVs: 8

Excusa typ

RSV  
7.6  
CEL  
PIBVS  
ISTIA-  
ribus, Du-  
s Misniae,  
s cle-  
lensis.

